Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Rex in paternæ gloriæ victor resplendens culmine, cum spiritus munimine, defende nos rex optime.

Oratio.

Domine Jhesu Christe, fili dei viui, rogo te per dilectionem, quam habes ad genus humanum, et per veritatem tuam, quam habuisti, dum propter nos homines de coelis descendisti, et natus es ex Maria virgine, et per tuam sanctam passionem, et per tuum sanguineum sudorem, et per mortem tuam, cum qua nos redemisti, et liberasti: Libera hodie hanc famulam tuam N. in nomine sanctæ et indiuiduæ trinitatis, Alpha et O. deus et homo. Amen.

Quo finito, accedat ad imaginem beatæ Mariæ Virginis, et dicat cum deuotione, Salue regina. ꝛc. Deinde subiungat hanc Orationem.

O sancta Maria, mater domini Jhesu Christi, rogo te per dilectum filium tuum dominum nostrum Jhesum Christum, et per septem gaudia, quibus dilectus filius tuus te lætificauit, ut me hodie lætifices, et animam ac corpus istius mulieris. N. liberari ab obsidione diaboli facias, in nomine domini nri